



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

9. Octobris. Jure sperandum est, quòd cum spiritualibus, temporalia quoque incrementa non sinè amplificatione provenient. S. Ignat. Epist. ad Regem Abyss.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

expendamus finum, qui solo intus contento Deo contentus erit. Reliqua non satietatem faciunt, sed discrimen.

9. Octobris.

Jure sperandum est, quòd cum spiritualibus, temporalia quoque incrementa non sine amplificatione provenient. S. Ignat. Epist. ad Regem Abyssi.

Non adeò illiberalis est Deus, ut quæ etiam inimicis suis sat copiosè tribuit, amicis suis deesse velit. Fæcundissimus ager est ejus dextera, cui dum tua credis, centuplo reddit cum fænore.

Qui dat, quæ majora sunt, minora non negabit. Dona, quæ spiritum, quæ cælum respiciunt, vera dona sunt; temporalia inter quisquillas censentur: quia tamen necessaria sunt, à suis desiderari Deus non sinit.

Suo Deus obsequio addictos non ut seruos, sed charorum instar filiorum fovet quàm parùm proinde pia mater sui partus obliviscitur, tam parùm suâ Deus eos ope destituet, quos recepit in sua.

Illius providentia providet omnibus, feras, & volucres opipare nutrit, vestit lilia,

lia, & rosas, luos etiam in deserto usque
ad delicias pascit. Pone curas tempora-
lium; cura, quæ Dei sunt, reliqua curabit
omnipotens,

10. Octobris,

*Elegit vos Deus, ne vestrum animum
maneres viles, & labiles irretitum tene-
rent, & vestrum cor in varias partes di-
stractum occuparent.* S. Ignat. Epist. ad
Hispan.

Quibus te periculis generoso quondam
pede subduxisti, ad ea tacitis non est
desideriis redeundum. Etiamnum infir-
mus, periculorum, & fraudum plenus est
mundus, ac erat, dum tuo eum contemptu
dignam reputabas.

Ardet adhuc malo igne Sodoma, malè
à pice, & sulphure olet, nec oculo redeun-
dum est eò, unde pridem non pedibus
modò, sed & animo recessisti. Recidiva
periculosior est.

Quòd terrenis altior has contempseris,
& amores à perituris ad æterna transtuleris,
opus naturæ non fuit, sed gratiæ. Væ
si huic libellum pares repudii. Vivit, vivit
væque Deus, cui te, & tua consecrasti.

Manq